

ut nos ament. Jacobus etiam Apostolus, cap. ultimo suæ Canonice: *Fratres (inquit) mei, si quis erraverit a veritate et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.* Si Evangelii prædicator (de quo alias dicit Apostolus: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*), dicitur facere fratrem suum converti, non quia determinat ejus voluntatem, sed quia moraliter inducit, multo magis Deus ratione prævenientis gratiæ dicitur facere nos velle, quamvis non determinet, nec physice necessitet, sed moraliter inducat. Quin potius qui alium scandalizat, et suo exemplo inducit ad peccandum, dicitur facere eum peccare, non solum vulgari locutione, sed etiam secundum phrasim Scripturæ, 2 Regum 12: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini*; et 3 Regum 11: *Non ingrediemini ad eas, neque ex illis ingredientur ad vestras, certissime enim avertent corda vestra ut sequamini Deos earum*; et infra: *Et averterunt mulieres cor ejus*; nunquid prædeterminarunt physice voluntatem ejus, vel solum moraliter induxerunt? Sic etiam libr. 4 Regum, capite decimo quarto, de Jeroboam dicitur, *quod peccare fecit Israël, occasionem peccandi illi tribuendo.* Multo ergo magis dici poterit Deus facere ut faciamus per gratiam suam, etsi voluntatem nostram non determinet. Quocirca, licet proprie dicatur Deus facere ut velimus, credamus aut faciamus, per vocationem congruam per quam ita interius movet sensum, ut accommodet consensum, juxta Augustinum in epistola 107, tamen etiam per omnem vocationem, et per sufficiens auxilium prævenit, et, quantum in se est, facit ut homo velit et consentiat. Atque hac ratione dixit divus Thomas, quæstione sexta de Malo, artic. unico, ad 15, *non esse necessarium ut causa, quæ facit voluntatem aliquid velle, ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari.*

Septimum testimonium est Isai. 50: *Domine Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico.* Hoc vero testimonium oppositum probat, etiamsi velimus illa verba ad omnes homines, et omnia opera gratiæ accommodare. Nam aperire aurem, gratiam vocationis aperte significat; recte enim dicitur de illo qui vocatur, quod auris ejus aperiat. Per quam metaphoram optime gratia excitans indicatur, quæ aurem cordis tangit, de qua ibi dicitur: *Exigit mane, mane exigit*

*mihi aurem ut audiam quasi magistrum*; in illa utique alta, et a sensibus hominum remota schola, in qua interius Deus docet, ut exponit Augustinus super Joannem. Quæ sane verba non possunt accommodari ad physicam prædeterminationem; in illa enim non docet Deus quasi magister, sed impellit quasi physicus motor. Unde sequentia verba: *Ego autem non contradico*, plane indicant ex vi illius doctrinæ hominem non determinari ab alio extrinseco agente, seu a Deo exigente aurem, sed hominem suo arbitrio libero non contradicere Deo vocanti, cum possit. Proprius vero sensus illius loci est, de Christo homine intelligi, cujus aurem Pater mane aperuit, utique in primo instanti conceptionis suæ, ut audiret præceptum moriendi pro humano genere; ipse autem non contradixit, non quidem propter physicam prædeterminationem, sed propter gratiam, quam ex unione habebat, summumque amorem, quo Patrem prosequabatur, propter quem corpus suum dedit percutientibus, et genas suas vellentibus, ut statim subjungit. Ita fere Hieronymus ibi.

Octavum testimonium sumitur ex illo Isai. 26: *Domine, dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es in nobis.* Cui consonat illud 1 Corinth. 12: *Operatur omnia in omnibus.* Si omnia opera, ergo etiam ipsum consensum nostræ voluntatis. Non potest autem illum operari nisi determinando voluntatem ut consentiat. Respondeo posse locum hunc primo intelligi de omnibus nostris operibus indifferenter, et sic dicitur Deus operari illa ratione generalis concursus. Nam cum illa universalis propositio comprehendat tam naturales actus quam supernaturales, et ad priores non sit specialis influxus gratiæ, oportet ut propter solum generalem concursum Deo tribuantur, tanquam primæ causæ ac præcipuæ. Non ergo dicitur Deus operari nostra opera propter physicam prædeterminationem, quæ ad generalem concursum non est necessaria, ut alibi ostensum est. Accedit quod in illo sensu etiam de operibus peccatorum, quatenus opera nostra sunt, verum est dicere Deum illa nobiscum seu in nobis operari, cum tamen impium sit dicere, nos ad illa opera prædeterminare. Vanum ergo est locum illum in hoc sensu adducere ad probandam prædeterminationem physicam, imo nec ad necessitatem gratiæ confirmandam valet, cum generalius sit. Atque ita intellexit locum illum divus Tho-

mas, 3 contra Gentes, cap. 67, et ad Romanos 9, lect. 3. Aliter vero exponitur ille locus ad litteram a Sanctis Patribus, non de omnibus operibus quæ nos operamur, sed de singularibus et miraculosis operibus, quæ in illo populo vel in redemptione generis humani Deus est operatus. De his enim operibus magnificatur et laudatur Deus in illo cantico, ut patet ex principio illius capituli: *In die cantabitur canticum istud in terra Juda: Urbs fortitudinis nostræ, Sion*, etc. Et post enarrata plura mirabilia quæ in umbra et figura in illo populo, vere autem per Christum in Ecclesia impleta sunt, subditur: *Domine, dabis nobis pacem, omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Quod potest intelligi de pace externa et temporali; et per opera intelligi possunt flagella quæ ille populus passus fuerat, ut Hieronymus exponit; ita ut sensus sit: Dabis nobis pacem, facile enim potes, cum labores nostri et afflictiones, non nisi te operante, nobis contigerint. Vel potest intelligi de pace spiritus et per Christum præstanda, qui est auctor omnium mirabilium operum et beneficiorum quæ Deus in nos contulit. Quem sensum indicant Cyrillus et alii. Utcumque vero locus exponatur, nihil refert ad præsentem causam.

Nonum testimonium est illud ad Philip. 2: *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Non ergo tantum externa opera, sed ipsum velle operatur in nobis Deus; ergo determinat voluntatem ad volendum. Respondemus hanc ultimam consequentiam sæpe esse negatam, nullam enim connexionem habet cum similibus antecedentibus seu locutionibus. Itaque dupliciter exponitur locus: primum in universum de omnibus operibus hominis et voluntatis humanæ, sive supernaturalibus, sive naturalibus, sive bonis, sive malis, et sic tribuitur Deo operari omnia illa, ratione solius concursus generalis, sicut in præcedenti testimonio dictum est. Et ita solet exponere D. Thomas locis ibidem citatis. Jam vero dictum est concursus generalem Dei cum voluntate humana non consistere in physica prædeterminatione, nec illam postulare, cum saltem in malis actibus locum non habeat prædeterminatio, et necessarius sit concursus, nullaque sit specialis ratio ponendi illam prædeterminationem ut necessariam ad concursum bonorum actuum, potius quam malorum, vel actuum supernaturalium potius quam naturalium, cum dependentia causæ secundæ a prima tam essentialis sit in

actionibus peccaminosis, sicut in bonis, et in naturalibus, sicut in supernaturalibus, servata solum proportionem quoad substantiam actionis et concursus, cum eodem tamen modo prioritatis vel concomitantiae, determinationis vel indifferentiæ ex parte Dei vel liberi arbitrii.

Verior autem expositio est, Paulum loqui de bonis operibus quæ ad salutem æternam conducunt, ac docere Deum esse principalem auctorem eorum, non solum quoad perfectionem et executionem eorum, sed etiam quoad propositum et voluntatem efficiendi illa, et hac ratione dicere Deum operari in nobis et velle, seu operari, et perficere opus bonum *pro bona* (inquit) *voluntate.* Quod ultimum verbum duobus modis potest intelligi, scilicet, vel pro bona voluntate hominis, ita ut sensus sit: Dat velle, et ulterius dat perficere opus consentaneum ipsi velle, et conforme bono proposito voluntatis, quod ipse dederat. Sæpe enim homo proponit bonum opus facere, ut jejunare, eleemosynam dare, vel, quod difficilius est, religionem ingredi; postea vero, tempore executionis, difficultate superatus retrocedit, et opus quod proposuit non perficit, nisi Deus peculiariter adjuvet; et ideo Deus dicitur dare non solum velle, sed etiam perficere quod bene volueramus, et hoc est perficere pro bona voluntate, seu juxta bonam voluntatem. Vel potest intelligi de bona voluntate ipsius Dei, ut sensus sit, Deum pro sua liberali gratia et voluntate operari in nobis, et velle et perficere opus bonum, quia ipse per gratiam inchoat bonam voluntatem, et perficit illam, donec opus exequatur. Dicitur autem Deus hæc duo operari in nobis, non quia nostram voluntatem prædeterminat, sed quia nostram voluntatem præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam. Dicitur autem hæc facere pro sua bona voluntate, quia non ex merito hominis, sed ex sua bona voluntate et liberalitate utramque gratiam præparantem et adjuvantem præbet, et præsertim ostenditur hæc gratuita Dei voluntas, quando voluntatem hominis præparat per vocationem congruam et efficacem, et consequenter adiutorium offert, quo ipsam determinet ad bonum, non sine ipsa, ac proinde potius condeterminet ipsam quam prædeterminet.

Decimum testimonium.—Decimum testimonium sit ex ad Romanos 4, ubi expendens Paulus promissionem Dei factam Abraham, Genes. 17: *Patrem multarum gentium constitui te*, ait non esse promissionem illam factam

per legem, sed per iustitiam fidei; et subjungit: *Ideo ut ex fide, et secundum gratiam firma sit promissio, id est (ut D. Thomas exponit), ut promissio Dei sit firma, non quidem per operationes hominum, quæ possunt deficere, sed secundum gratiam, quæ infallibilis est.* Quod prius dixerat Augustinus de Prædestinatione Sanctorum, cap. 10, his verbis: *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promissio.* *Promissio enim quod ipse facturus erat, non quod homines. Quia et si faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit ut illi faciant quæ præcipit, non illi faciunt ut ipse faciat quod promissio.* Unde inferius ait Paulus quod Abraham credidit, dans gloriam Deo, et sciens quia quæ promissio potens est et facere. Ponderatque Augustinus supra non dixisse Paulum: *Potens est prædicere aut præscire, nam et aliena facta potuit prædicere ac præscire, sed ait: Potens est et facere, et per hoc facta non aliena, sed sua promissio.* Et epistola 105 in eandem sententiam ait: *Quod promittit Deus, non facit nisi Deus, habet enim aliquid rationis et veritatis ut homo promittat, et Deus faciat; ut autem homo se facere dicat quod promissio Dei, superbæ impietatis est, reprobis sensus.* Ex quibus testimoniis tale videntur conficere argumentum: Deus promissio Abraham futurum esse patrem multarum gentium, non secundum carnis originem, sed secundum fidei imitationem; ergo promissio hanc Deus ipse implet, et non homo; ergo id facit per auxilium efficax, inflectendo voluntates hominum ut credant, et ita fiant filii Abraham.

Respondemus ex testimonio Pauli, cum expositione D. Thomæ ac toto discursu Augustini, solum concludi fidem, sicut et cætera, esse opus Dei et donum gratiæ suæ; hæc enim et non alia est conclusio Augustini in illo cap. 10 de Prædestinatione Sanctorum. Quis autem neget aut fidem esse opus Dei, cum id disertis verbis asserat Christus, Joan. 6, dicens: *Hoc est opus Dei, ut credatis in ipsum?* vel quis dubitavit fidem esse donum Dei, cum dicat Paulus: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis?* At vero nostri impugnatores ulterius progrediuntur, et ex illo testimonio colligunt, quod Deus, ut promissio suam adimpleat, non expectat voluntatem hominum, sed ipsemet adimplet quod promissio, dum per auxilium efficiens seu physicum gratiæ suæ firmiter facit filios Abraham.

Neque voluntatibus eorum committit, sed in eis ipse agit quod promissio. Verumtamen hæc et similia nec a Sanctis Patribus exponentibus locum illum afferuntur, nec habent necessariam connexionem cum loco Pauli, nisi in sano sensu quem habere possunt, rejecto alio, quem præ se ferunt, et fortasse principaliter intentus est. Itaque si in universum intelligatur Deus non expectare voluntatem hominis ut impleat quod promissio, admittendus non est. Nam Deus promissio hominibus Filium suum factum ex muliere, et nihilominus expectavit voluntatem illius mulieris ut promissio suum implet. Si autem intelligatur non ita expectare voluntatem hominum quin illam præveniat et præparet, vel ita dirigat et gubernet ut suam promissio infallibiliter adimpleat, sic non est illatio contra nos, qui hanc Dei præviam motionem et gubernationem maxime esse necessariam dicimus ad opus fidei et alia supernaturalia.

Quod autem ibi admiscetur de auxilio physico et efficiente firmiter, si sub his verbis occulte includatur auxilium prædeterminans physice, non est necessaria illatio, quia, ut Deus impleat quod promissio, non indiget tali prædeterminatione, cum modo suaviori et sapientiori possit verbum suum implere per gratiam, quæ infallibilis sit, ut locutus est D. Thomas in citatis verbis, id est, per vocationem congruam, quæ infallibiliter effectum habet. Imo suam promissio illo modo irritam redderet; ita enim promissio Deus Abraham constituere illum patrem multarum gentium, ut tamen et voluntarie essent spiritualiter generandæ, quam liberam generationem prædeterminatio illa impediret. Si vero per auxilium physicum solum intelligatur realis et vera efficientia auxilii gratiæ ad opus fidei, illatio non est contra nos, ut sæpe est dictum, quidquid sit de illius necessitate ex vi hujus testimonii, de quo statim pauca dicam. Denique quod subjungitur, Deum non committere voluntatibus hominum, sed in eis ipsum agere quod promissio, si intelligatur non ita committere ut solis illis tale opus relinquat, verissimum est, non tamen contra nos, ut sæpe est dictum. Si vero sit sensus non committere, id est non vere efficere tale opus per voluntatem hominum libere cooperantium ac sese cum divina gratia libere determinantium, sic nec consequens sequitur, nec ulla ratione admittendum est. Et ideo cautius locutus est Augustinus in locis citatis, dicens, quia, et si faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum,

ipse facit ut illi faciant; quomodo autem ipse hoc faciat, jam sæpe a nobis declaratum est.

Non omitam tamen advertere quod, licet in universum verum sit Deum non promittere nisi quæ ipse est facturus aliquando, et quamvis etiam de illa peculiari promissione, propter excellentiam ejus, verissimum sit implendam fuisse per gratiam, nihilominus etiam est certum Deum non semper promittere ea quæ solus ipse facturus est, aut proxime et immediate per seipsum sæpissime enim promittit quæ per hominis operationem vel cooperationem et consensum mandanda sunt executioni, sicut supra dictum est de illa promissione: Ecce virgo concipiet; sæpe enim promittit filium, vel posteritatem generandam per homines voluntarie operantes; imo interdum promittit aliqua bona quæ non sunt facienda, nisi intervenientibus multorum hominum peccatis, ut promissio redemptionem per Christi mortem, et Judæorum populo promissio terram promissionis post completam iniquitatem Amorrhæorum. Unde constat semper quidem promissionem Dei esse firmam et infallibilem, ex sua divina providentia atque speciali, et non ex solis voluntatibus hominum sibi relictis, aut secundum se spectatis; nihilominus non semper sortiri illum infallibilem effectum ex gratia, sed quando bonum quod promissio est illam requirit. Alioquin interdum potest sufficere specialis providentia circa ordinem naturalium causarum, ut si promittat pluviam, aut abundantiam fructum, aut prolem generandam. Aliquando etiam potest quoad aliquid sufficere specialis promissio earum actionum, per quas vel fit quod promissio est, vel fit saltem aliquid prævium ac necessarium ut impleatur promissio, sicut per venditionem Joseph impleta est promissio principatus ejus. Ex quibus evidentissime constat nec promissiones Dei impleri sine voluntatibus hominum, neque propterea incertitas, aut minus certas reddi tales promissiones, neque ad earum certitudinem necessarium esse ut Deus prædeterminet voluntates hominum, cum in actibus saltem malis certissimum sit id non habere locum, sed aliud genus providentiæ cum altitudine divini præscientiæ sufficere; in promissionibus autem gratiæ simpliciter tribui Deo effectum promissio, non quia voluntas etiam hominis non cooperetur libere et sine prædeterminatione, sed quia Deus est principale operans, hominem præparans et mirabiliter gubernans, ut infallibiliter operetur quod ipse promissio.

*Undecimum testimonium.* — Undecimum testimonium sit illud Isai. 46: *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Cui conjungi possunt omnia quæ sunt de efficacia divini voluntatis, ut est illud Esther 13: *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ.* Ex quibus testimoniis tale conficitur argumentum: Decretum divini voluntatis semper antecedit deliberationem voluntatis humanæ, quia illud est æternum, hoc temporale; illud est causæ primæ, a qua pendet et determinatur omnis effectus causæ secundæ; sed decretum illud Dei est efficacissimum, nec illi valet resistere humana voluntas; ergo semper prædeterminat humanam voluntatem, vel per seipsam propter naturalem subordinationem et subjectionem humanæ voluntatis ad divinam, vel per motionem, aut qualitatem aliquam, quam per suam omnipotentiam potest voluntati humanæ imprimere, ut suum decretum infallibiliter exequatur.

Respondetur quatuor catholica dogmata in illis testimoniis contineri, de quibus nulla esse potest inter Catholicos controversia. Primum, consilium divinum semper stare, id est, nec deficere nec frustrari posse, quia semper est prudens et rectum et in scientia certa et infallibili fundatum. Secundum est, voluntatem divinam efficacem et absolutam semper impleri, quod est fundatum in tertio, in manu scilicet omnipotentis divini omnia esse constituta. Quia enim illi subest, cum voluerit, posse, et quia nihil absolute vult nisi prudentissimo consilio, habensque in thesauris scientiæ et potentiæ suæ media quibus possit infallibiliter exequi quidquid absolute vult, ideo omnis talis voluntas ejus infallibiliter fit. Quartum dogma est neminem posse resistere voluntati divini, quod sequitur ex duobus præcedentibus; nam si posset quis resistere voluntati Dei, posset efficere ut voluntas Dei non impleretur. Est autem expendenda vis illius verbi, *resistere*, nam ex vi sua facit sensum compositum, scilicet, stante decreto divini voluntatis, ita posse illi obsisti, ut oppositum ejus, quod decretum est, eveniat, simulque cum tali decreto in re ipsa ponatur. Hæc igitur est resistentia, quæ, respectu divini voluntatis, absolute dari non potest, quia repugnat omnipotentis et sapientiæ ejus.

Cum his vero quatuor principiis certisque dogmatibus, et præsertim cum dicta impo-

tentia resistendi divinæ voluntati, stat ut possit aliquis non efficere id quod a Deo decretum est fieri, quia ipsemet Deus decrevit ut illud fiat retenta potestate non faciendi, quia decrevit ut ille faciat retenta libera facultate operandi, quæ omnino esse non potest sine potestate non faciendi, et nihilominus hæc potestas non est potestas resistendi, quia non est potestas conjungendi simul ipsum non facere cum decreto Dei de ipso facere, sed tantum est potestas non faciendi simpliciter et divisim, quæ tamen non redigetur in actum non faciendi, supposito illo decreto, non per ablationem potestatis non faciendi, sed per infallibilem directionem, ut illa potestas non redigatur in actum non faciendi seu nolitionis, sed in actum faciendi seu volitionis. Quamvis ergo de fide sit liberum arbitrium non posse resistere voluntati Dei, nihilominus in omni sententia Catholica fatendum est decretum Dei non auferre a libero arbitrio potestatem non operandi aut volendi id quod Deus decrevit.

Igitur testimonia adducta contra omnes opiniones adduci possunt, et ab omnibus qui decreta divina prædefinientia actus liberos non negaverint solvenda sunt. Aliqui enim propter vim illorum testimoniorum negant posse Deum prædefinire absolute et efficaciter actus voluntatis humanæ in particulari, et cum omnibus circumstantiis ejus, salva libertate, quod nobis nullo modo probari potest, ut alibi ostendimus. Alii vero putant tale decretum Dei auferre ab humana voluntate potestatem aliter faciendi, aut volendi, vel nolendi, quam decretum a Deo est, quia hoc putant necessarium ut non possit resistere voluntati divinæ. Sed non possunt isti explicare quomodo talis voluntas maneat libera ad operandum, si ad unum prædeterminatur, et privatur potestate aliter operandi. Unde (quod majus est inconveniens) ipsa voluntas divina sibi ipsi repugnaret, volendo voluntatem humanam libere operari sine libertate, id est, sine potestate aliter volendi. Nos ergo dicimus decretum Dei non auferre a voluntate nostra potestatem simpliciter aliter operandi aut volendi, et consequenter nec prædeterminare illam ad unum, sed illam ita dirigere ut infallibiliter faciat quod ipse decrevit, et hoc satis esse ut consilium Dei stet, et omnis ejus voluntas fiat, et ut in voluntate humana non sit potestas resistendi divinæ, quia nunquam valet ad effectum perducere oppositum ejus quod Deus decrevit,

quod totum provenit ex divina omnipotentia, cum infinita sapientia conjuncta, ut explicatum est.

Duodecimum testimonium sit illud Joannis 6: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, cui consonat illud Cantorum 1: *Trahe me post te in odorem unguentorum tuorum*. Nam verbum trahendi evidenter indicat antecedentem actionem et motionem Dei; illam vero actionem esse necessariam priora Christi verba testantur; esse autem ita efficacem ut semper consequatur effectum, plane confitetur sponsa in posterioribus verbis, ipsumque trahendi verbum per se indicat. Hoc autem totum negotium ex sola misericordia Dei pendere constat ex verbis Dei, Jerem. 31 dicentis: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*.

Respondetur duas fidei veritates his testimoniis præcipue confirmari, tertiam autem quamdam Catholicam sententiam valde probabiliter inferri; male tamen inde deduci quartum dogma de prædeterminatione physica, sed ad summum colligi posse aliud probabilius dogma de vocatione congrua. Prima ergo veritas fidei est, ad supernaturalia opera necessariam esse præviam Dei motionem, quam Deus ex misericordia sua præstat; quam veritatem omnes fatemur, et ideo in ea immorari non est necesse. Secunda veritas fidei, est hanc præviam Dei motionem non solum esse necessariam ad operandum, sed etiam ut velle possimus, ita ut non det tantum auxilium agendi, sed etiam potestatem volendi. Christus enim non solum dixit: *Nemo venit*, sed etiam: *Nemo potest venire*. Unde fit valde probabile, per verbum *traxerit*, non solum significari auxilium efficax præveniens, sed etiam auxilium sufficiens. Nam constat eum qui habet auxilium sufficiens præveniens posse venire, etiamsi non veniat. Si ergo potest venire, jam trahitur, quia, juxta Christi sententiam, nemo potest venire nisi trahatur. Et juxta hanc expositionem, nihil aliud illo testimonio probatur nisi necessitas prævenientis gratiæ sufficientis, de qua Christus etiam dixit Joann. 14: *Sine me nihil potestis facere*; et Paul., 2 Corinth. 3: *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ea nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; et 1 Corinth. 12: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto*; et similia, quæ probant quidem necessitatem gratiæ prævenientis et inchoantis in nobis bonum ad vitam æternam conferens, ut Augustinus docet, li-

bro secundo contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 8; non tamen probant necessitatem gratiæ efficacis, id est, actu infallibiliter efficientis, ut homo possit operari, alias nulla daretur gratia vere sufficiens, et dans posse absque operatione.

Nihilominus tamen probabiliter ex illis testimoniis colligitur dari auxilium efficax præveniens, quo Deus infallibiliter trahit quem ex sua misericordia discernit ut veniat, id enim verba sponsæ et Jeremiæ indicant, et alia testimonia confirmant, quæ statim tractabimus. Quod autem efficacitas illius auxilii vel præmotionis consistat in virtute prædeterminandi voluntatem ad unum, id neque ex verbo trahendi, neque ex aliqua alia proprietate talium verborum colligi potest. Nam verbum trahendi, quantum ad præviam tractionem pertinet, sufficientissime explicatur ab Augustino, tractatu vigesimo sexto in Joannem, per tractionem moralem et internam, quæ fit per divinam illuminationem et inspirationem, quas aliis locis nomine vocationis comprehendit, quæ tunc efficax dicitur, quando congrua et accommodata tribuitur, ut quæstione secunda ad Simplicianum, et libro de Dono perseverantiæ et de Prædeterminatione Sanctorum, capite decimo quarto, aliisque locis, Augustinus significavit.

Sed objiciunt aliqui, quia, sicut Deus dicitur nos trahere ratione auxilii prævenientis, quo nos vocat, eadem ratione nos dicemur trahere Deum ad cooperandum nobiscum, ratione influxus nostri liberi arbitrii in actum consentiendi, nam in illo nos incipimus jam a Deo sufficienter attracti, et Deus quasi nos sequitur, quia nisi nobis inchoantibus actum ipse non cooperatur.

Aliqui ex nostris auctoribus non reputant inconveniens totum hoc concedere; ipsi nos tradidimus per primam Dei gratiam trahi Deum ad aliam gratiam nobis faciendam, sicut per primam gratiam meremur secundam, et Scriptura Sacra videtur aliquando hunc loquendi modum insinuare, ut cum sponsus dicit: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, et averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt*. Et Christus ait: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus*, etc., tracti scilicet ab ejus obedientia. Sic denique peccator per contritionem videtur trahere Deum, ut in ipso per gratiam inhabitet. Sed licet hoc utrumque locum habeat comparando posteriorem effectum gratiæ ad præcedentem actum hominis,

non ex solo arbitrio, sed ex divino gratiæ adjutorio principaliter procedentem, de quo et rationes et testimonia dicta procedunt, tamen de solo influxu liberi arbitrii per se spectati et comparati ad auxilium gratiæ seu influxum adjuvantis, id dici non potest; tum quia in illo influxu præcise spectato nullum est meritum; tum etiam quia meus influxus nullo modo est causa divini influxus cooperantis, nec est ratio ejus, sed est pura conditio concomitans. Negatur ergo sequela, quia Deus per gratiam prævenientem antecedit revera causando et cooperando in nobis, atque ita trahendo nos; nos autem influendo per liberum arbitrium non anteceditur, nec causamus ullo modo influxum Dei, sed omnino simul cum illo operamur.

*Decimum tertium testimonium.*—Decimum tertium testimonium est, et eamdem vim habet locutio illa, qua Deus dicitur aperire corda, sicut de Lydia Purpuraria dicitur, Actorum decimo sexto, Deus aperuisse cor ejus, intendere his quæ dicebantur a Paulo.

Respondeo hoc testimonium eodem modo quo præcedens interpretandum esse, nam hoc etiam dicitur ratione gratiæ prævenientis et vocationis, sicut illud: *Faciam ut faciat; Dabo vobis cor carneum*. Unde si effectus illius apertionis tantum sit actus aliquis imperfectus et indeliberatus, potest soli Deo tribui; si vero sit actus liber, tribuitur illi ut incipienti et principaliter operanti, non excluditur tamen cooperatio liberi arbitrii. Et utroque modo potest intelligi locus ille Actorum, decimo sexto; nam ibi non dicitur aperuisse Deus cor Lydiæ ut crederet, sed ut intenderet prædicationi. Illud autem *intendere*, potest significare solam interiorem attentionem quam Deus singulari motione præbebat, quod poterat facere, etiam sua sola vi, applicando intellectum majori conatu et perspicacitate, quam per suam voluntatem posset, et ita poterat fieri per solam gratiam excitantem ultra hominis consensum. Potest etiam verbum intendere significare voluntariam applicationem vehementem et liberam ad audiendam prædicationem Evangelii, et hæc etiam fuit ex inspiratione divina, per quam cœpit excitari affectus; tamen quando pervenit ad voluntarium consensum etiam circa auditionem et attentionem, ille non est sine cooperatione voluntatis, tribuitur tamen Deo potiori ratione.

Decimum quartum testimonium sit illud Roman. nono: *Non est volentis, neque cur-*